



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. j. An sint aliquæ passionēs entis, & quid enti superaddant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

ut quando dicitur, *Homo est mortuus: Dies est prateritus: Antichristus nunc est futurus.* Tunc enim actualis denominatio non cadit supra quidquam actuale; dicuntur enim à Dialecticis tales termini distractivi.

Solutio
secundæ.

Ad secundam respondeo ad illam maiorem: nulla est conceptibilis possibilis, quæ non dicatur essentialiter ordinem ad Deum, adequatè considerata, prout est à parte rei, concedo; concepta inadequatè, & per conceptum præcisivum communem Deo & creaturis, nego. Creatura possibilis considerata vt creatura, dicit ordinem ad Deum; concepta verò præcisivè secundum conceptum possibiliter communem Deo & creaturis, non dicit ordinem ad Deum, nec est per participationem, vt patet.

Solutio
tertiæ.


Ad tertiam respondeo, implicare vt creatura adequatè sumpta sit possibilis vlllo modo antequam Deus possit illam producere; posse autem inadèquatè sumptam esse radicaliter possibilem antequam Deus concipiat illam posse producere. Creatura sumpta inadèquatè est creatura sumpta secundum aliquam rationem communem Deo & creaturis; quæ ratio sine dubio est prior, quam producibilitas, cum possit illa ratio communis tribui Deo, qui non est producibilis. Ad probationem similiter respondeo: nulla realitas adequatè sumpta concipi potest vel esse prior eo quod est simpliciter primum ens, concedo; nulla realitas inadèquatè sumpta, nego: quia si primum ens esset prius omni realitate sumpta inadèquatè & præcisiue, esset etiam prius seipso; quia illa realitas sic præcisiue sumpta est prædicabilis de illo primo ente, cum sit ratio communis primo enti, & creaturis.

Solutio
quartæ.

Ad quartam respondeo Dei omnipotentiam, cum seipsa sit potens & factiua, denominare proximè creaturas factibiles & possibiles sumpta adæquatè, non denominare illas radicaliter sumpta inadæquatè ac præcisiuè. Ad confirmationem & probationem eadem responsio est.

Solutio
quintæ.

Ad quintam respondeo esse impossibile vt fiat concretum ex subiecto, & ex negatione illius pro eodem tempore; sed posse fieri concretum ex subiecto, & ex negatione illius pro diuerso tempore: v.g. in hoc concreto, *Petrus fuurus*, dicitur in recto ipse Petrus, in obliquo autem carentia Petri, sed pro diuerso tempore; nam in recto dicitur Petrus *cas* existens, in obliquo negatio Petri existens hodie. Similiter Petrus possibilis dicit in recto entitatem Petri, quæ esset tempore quo existeret; in obliquo autem negat eandem, non pro tempore quo existeret, sed pro nunc. Denique illud non includere contradictionem est aliquid actuale possibile, non aliquid simpliciter actuale; nam esse possibile, est terminus distractus.



DISPUTATIO III.

*De uniuersalissimis & primariis
entis proprietatibus.*

 ACTENS dixi, communem conceptum entis & essentia realis, per quem differt ab ente ficto: nunc circa generalia illius attributa possunt plura disputari. Primum de attributis entis generatim: secundò de vnitare, quæ prima est inter passiones entis; vbi explicari etiam debent varia distinctionum genera opposita vnitati: tertio de veritate ac bonitate.

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

QVÆSTIO I.

De passionibus entis generatim.

TRia de huiusmodi entis passionibus generari
quæri possunt: primò an sint: secundò quid
enti superaddant: terriò quot sint, & quomodo inter
se ordinem habeant.

SECTIO I.

An sint aliqua passionēs entis, & quid enti
superaddant.

Nomine attributi, passionis, & proprietatis, seu affectionis significari solet id quod consequitur primum, & quidditativum conceptum alicuius rei, vsu sibilis sequitur rationalitatem, & est eius attributum; essentia enim rei est primarius conceptus, quem de re aliqua formamus, è quo scilicet tanquam è radice pullulant ea omnia que rei alicui attribui possunt. Secundarii autem conceptus cuiuslibet rei vocantur eius attributa, quia primario conceptui attribuitur tanquam rationi è qua derivatur. Difficultas igitur est, utrum communissimus ille conceptus entis aliqua habeat huiusmodi attributa omni propterea enti conveniētia, & ab eo inseparabilia.

Ratio verò dubitandi primò est, quia id quod est attributum essentiae alicuius, debet esse extra conceptum essentiae illius, cuius est attributum: illa quæ dicuntur entis attributa, non sunt aliquid extra conceptum entis; ergo ens non habet attributa. Probatur maior; nam attributa entis vel eandem habent realitatem, quam habet ipsum ens; vel habent distinctam realitatem. Si diuersam: ergo sunt distincta realiter ab ente, & sic sunt non entia. Vel habent eandem, & sic non sunt proprietates, sed essentia ipsa entis. Confirmatur, quia ens ante omnem operationem intellectus est vnum, verum, & bonum: ergo illæ proprietates aliquid enti superaddunt ante operationem intellectus.

Prima dubitatio.

Secundò proprietates entis, vt sunt proprietates, sunt extra essentiam & aliquid superaddunt: sed vt sunt proprietates, sunt reales: ergo sunt reales prout sunt extra essentiam entis, & prout aliquid superaddunt. Confirmatur; nam proprietates non sunt proprietates, nisi secundum id quod superaddunt: sed sunt proprietates vt sunt reales: ergo sunt reales secundum id quod superaddunt.

Tertio, si attributa includunt ens, ergo ens diuidi potest in illa tanquā in species inferiores, sicut diuiditur in decē categorias, in quibus similiter includitur. Imō si hæc attributa conuertuntur cum ente & illud includunt, sequitur quod vnum attributum est alterius attributum, v.g. verum est attributum boni.

Tertia dubie

Dico primò, ens in communi habere vera & realia quædam attributa.

E Ratio est, quia si ens non haberet veras illas proprietates, ens non esset aliquid scibile, quia omne subiectum scientiæ habet reales proprietates, quæ de ipso demonstrantur: est absurdum negare quod ens sit aliquid scibile. Præterea multi sunt cõceptus secundarij entis in cõmuni illi sunt entis attributa: ergo ens in cõmuni vera coniungit attributa.

Ens habet

Dico secundò. Attributa entis non illi superad-
dunt aliquid realiter distinctum ab ipso ente.

Observa primò, proprietatem quamlibet super-
addere semper aliquid subiecto cuius est proprietas;
passio enim subiectum essentiam sui subiecti, & est
extra illius essentiam; supponit enim illam iam cò-
stitutam: non supponit autè si passio non includat
aliquid extra illam essentiam. Sed non omnes ta-

H H h

men

Non super
addunt ali

quid realiter
distinctum.

Prima ob-
servatio.

men passiones additamentum æquale afferunt suo subiecto; nam aliqua superaddunt entitatem realiter distinctam, ut quantitas distinguitur à materia, & frigus aquæ, cuius est proprietas. Aliqua solā superaddunt modificationem, ut figura quātitati. Aliqua solam negationem, ut immortalitas non superaddit animæ nisi negationem destructibilitatis à potentia naturali. Aliqua superaddunt dumtaxat connotationem alicuius extrinseci, ut diuisibilitas connotat diuisionem quam superaddit quātitati. Nulla solū superaddunt formalitatem aliquam nonam, sed adæquatē distinctam, id est, quæ nec in suo conceptu includat essentiam, nec in ea includatur, ut risibilitas. Denique aliqua superaddunt formalitatem inadæquatē distinctam, id est, quæ licet non includatur in essentia, eam tamen includit; sic enim vnitas includit conceptum entis, in quo non includitur. Illæ proprietates, quæ superaddunt aliquid realiter distinctum, vocantur passionēs, aliæ sunt attributa.

Secunda
obseruatio.

Obserua secundò, proprietates quaslibet posse sumi vel in concreto, vel in abstracto. In abstracto, ut cum dico *quantum*; in concreto, ut cum dico *quantitas*. Omnis proprietas sumpta in concreto, prædicatur de suo subiecto, & cum eo identificatur, cum in recto dicat subiectum: v. g. quantum significat id quod habet quantitatem; cum autem subiectum illud sit materia, rectè dicitur, *materia est quantitas*. At verò attributa in abstracto sumpta distinguuntur aliquo modo ab essentia, idè non possunt semper de illa prædicari; falsa enim est hæc propositio, *Rationalitas est risibilitas*, quia abstracta semper sumuntur in sensu formali; formalitas autem risibilitatis non est formalitas rationalitatis. Si autem proprietas includat essentiam, poterit etiam in abstracto prædicari de essentia: v. g. vera est hæc prædicatio, vnitas est entitas. His positis,

Probatio.

Ratio conclusionis contra Scotum est, quia si proprietates entis superadderent aliquid realiter distinctum ab ente, illæ necessariò essent nihil; nam omne quod non est ens, est nihil: ita proprietates non essent entia: ergo essent nihil.

Quomodo
distinguan-
tur.

Dico teritiò, proprietates entis non superaddere ipsi enti aliquam realitatem, etiam ratione distinctam ab ipso ente; sed inadæquatē tantum. Id est, proprietates entis includunt ens, sed in eo tamen non includuntur.

Ratio est, quia illud formaliter includit rationem entis, quod sumptum formaliter non est purum nihil: attributum reale formaliter sumptum, non est purum nihil: ergo attributa entis formaliter sumpta includunt rationem entis: ergo id quod superaddunt enti, distinguitur solū ratione inadæquatē ab ipso ente.

Solutio pri-
mæ dubit.

Ad primum patet, quomodo attributa entis superaddant aliquid enti sufficienter ut sint attributa; eandem enim habent realitatem, quam habet ens, sed inadæquatē distinctam formaliter ab ente. Sunt autem proprietates entis independentes ab intellectu eo ipso, quod superaddunt aliquid conceptibile diuerso conceptu.

Solutio se-
cundæ.

Ad secundam respondeo distinguendo maiorem: proprietates entis ut sic sunt extra essentiam adæquatē, nego; inadæquatē, concedo; sufficit enim ut non includantur in essentia, quamvis illam includant. Dicunt autem in recto ipsam essentiam entis, & in obliquo negationem aliquam aut connotationem; quæ tamen negatio & connotatio concipi non possunt, quin concipiatur ipsum ens. Idè ad confirmationem nego hanc maiorem: proprietates non sunt proprietates nisi secundum id quod superaddunt: licet enim non sint propieta-

tes, nisi quatenus superaddunt aliquid; falsum tamen est, quod non sint proprietates, nisi secundum id quod ab illis superadditur; nam etiam ut sunt proprietates, dicunt in recto ipsum ens; quod autem in obliquo addunt, non est præcise ab ipso ente.

Ad tertiam respondeo, ens non posse diuidi in tres istas proprietates, vnum, verum, bonum, tamquam in species inferiores, quia conuertuntur cum ente; tam enim latè patent, quam ipsum ens. Diuiditur autem ens in decem categorias, tanquam in inferiores; quia quælibet categoria minùs latè patet quam ens. Denique certum est, attributa entis ita conuertere cum ente, ut vnum sit attributum alterius attributi; si enim ens includitur in attributo reali, secum affert attributa omnia. Deinde vnitas est cognoscibilis; veritas est amabilis.

SECTIO II.

Numerus & comparatio proprietatum entis.

Transcendentia numerari solent communiter sex, ens, res, aliquid, vnum, verum, bonum. Res & aliquid non sunt proprietates entis, cum sint dumtaxat synonyma cum ente. De tribus aliis

Ratio dubitandi est primò, quia ens diuiditur in vnum & multa, tanquam in membra distincta: ergo vnum non conuenit omni enti; quod enim est multa, non est vnum.

Secundò: si vnitas non supponit ens, non est proprietates entis: sed vnitas non supponit ens; nam omnis passio supponit suum subiectum ut vnum, cum passio non possit prædicari de quolibet subiecto, sed de vno tantum: ergo vnitas non est proprietates entis.

Tertiò alia multa possunt esse attributa entis præter tria illa, si alia multa æquè conuertantur cum ente: sed præter vnitatem, veritatem, & bonitatem alia etiam multa conuertuntur cum ente, nec ab eo possunt separari, ut existere, durare, esse alicubi, non esse fictum, non esse impossibile, identitas, similitudo, diuersitas: ergo plura sunt entis attributa quam tria.

Dico primò, tres omnino esse proprietates entis in communi, vnum, verum, bonum; nec plures, nec pauciores posse cogitari.

Ratio est, quia tria illa conueniunt enti omni, & soli, & necessariò; quidquid enim ens est, necessariò indiuiduam habet in se, cum sit diuisum ab omni eo quod non est ipsum; cognosci, & amari potest: quod autem ens non est, nullum habet ex his prædicatis; non enim est indiuiduum, nec cognoscibile, nec amabile per se: ergo illa tria omni enti necessariò conueniunt, & quidem soli: reliqua omnia vel soli, vel omni, vel necessariò non conueniunt: ergo illa solæ sunt proprietates entis.

Dico teritiò, primam proprietatem entis ordine generationis esse vnitatem, secundam veritatem, tertiam bonitatem.

Ratio est, quia ea quæ sunt absoluta, priora necessariò sunt respectiuis; prius enim res est in se quam sit ad aliud: vnitas absolute conuenit enti, veritas autem & bonitas sunt respectiue: vnitas ergo prima est inter tres. Deinde intellectus prior est voluntate à qua præsupponitur; veritas ergo prior est bonitate. Si tamen comparantur in ratione nobilitatis, vnitas imperfectior est duabus aliis, cum consistat in negatione, ut statim dicam.

Ad primam respondeo ens per se non diuidi in vnum & multa; nullum enim est per se quod sit multa; ens autem prout est commune enti per se, & enti per accidens, diuiditur in vnum & multa: ego autem de solo hîc loquor ente per se.